

Vg
1591



Q



Q.K. 260, 2.

Vg
1591

PARENTALIA ANNI-
VERSARIA,

OCTAVVM HABITA,
REVERENDIS ET CLARISSIS
MIS VIRIS, D. MARTINO LUTHERO,
ET PHILIPPO MELAN-
THONI.

In quibus & FLACII cuiusdam Illyrici im-
pietas, & artificia Sinonia exagis-
tantur,

A
IOHANNEMAIORE
DOCTORE.



ANNO 1568.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(GALE)





PARENTALIA ANNI
VERSARIA, OCTAVVM HA-
BITA, REVERENDIS ET CLARIS,

simis uiris, Domino Martino Luthero,
& Philippo Melanthoni.

EST onunc Sol testis, & hæc mihi turba precanti,
Tu paries, Et uos olim sacrata LUTERI
Pulpita, Tu sedes uenerãda MELANTHONIS olim,
Patresq̃, iuuenesq̃ uoco, Quæq̃ optima rerum
Relligio, pacem colit, atq̃ immobile Verum.

Huius lucis enim uocem quam profero, Et aures
Excipiunt uestræ, Nostra de mente relinquam
Perpetuum testem, quàm sit mihi prompta uoluntas,
Quàm sit amor uestri, grataq̃ affectio mentis
Corpus in hoc ludi, studijs quod floret honestis,
Et cœlos plantat diuini ex semine Verbi,
Insertansq̃ fide ramos super arbore Vitæ,
In te nate Dei, cœlo struit æmula Tempe,
Confertum & plantis felicibus excolit hortum.
Nec me ullus rapiet furor in contraria, ut ausim
Latum unguem transferre pedes à tramite recti,
Atq̃ alios uariare sonos à carmine sacro (aures,
Quod nostræ hauserunt ex ore MELANTHONIS
Cygnus ego celebri Philomelæ nobile carmen,
Nec me degenerem, ac diuersum ulla arguet ætas.
Virtutesq̃, uirosq̃ canam, Qui numine Verbi,

A ij Haud

Haud cauponantes Verbum, & coelestia sacra,
Sed doctis dictis, & non mortalibus armis
Romanum Antiochum spoliantem munere Christū
Sacraque cudentem, & coelum uenale ferentem,
Expulerant templis, Et detestabile monstrum
Fatalis crusti, quod CHRISTI poscit honorem
In cauea, fulgente auro, rutilisque Pyropis,
Sublatis aperire dolis sunt fortiter ausi,
Magnæ molis opus: Pauci potuere, Quòd omnis
NERVVS IN HOC PAPÆ EST, ET DIGNVS VINDICE NODVS.

ERGO dies postquam uerso processerat anno,
Quem sacrum semper, quē semper habemus acerbū,
Quo digressus abis supera ad conuexa Melanthon,
O Sol Teutoniæ gentis, Stellæque salubres
Vos operum comites, focia agmina, fida uirum uis,
Carminē uos super astra ferā, & uestra optima facta:
SED Canis, inuisum agricolis, & pestile sydus
O FLACI, Tibi dira canam, tibi tristia uota,
Et capiti, generique tuo, Quos nigra merentes
Tartara, quos poenis æternū addicta malorum
Concilia expectant, pro te Catilina minaci
Nixuros scopulo, Quos sanctum ultura Philippum
Tisiphone, & cineres foedatos, erutaque ossa,
Atque incomposito temeratam carmine tumbam,
Urgebit poenis, latratuque inde trifauci
Cerberus, & morfu maledictas appetet umbras.

Hi, uelut ad metam directis ictibus, unum hoc,
Vnum

Vnum hoc impetièrè caput, Quos fama Philippi
 Obliqua inuidia, stimulisq; coquebat acerbis.
 Hinc odijs infensi omnes, & crimine semper
 Insultant ficto, & uerbis odia aspera tendunt.
 Nec requiescit enim, sed adhuc ignobile uulgus
 Armat, & hunc onerat dictis, atq; asperat iras,
 Facta, infecta canens, & quarens conscius arma
 Flacius, atq; omnes Proteus se uertit in artes,
 Et mare permiscet terræ, cœlumq; profundo,
 Nil intentatum scelerisue, dolique relinquens.
 Hæ tibi sunt artes, hæc sunt tua fortia facta,
 Facta, quibus penitus Doctrinæ corpus, & ingens
 Demoliris opus, fundoq; euertere, & altis
 Sedibus impulsum eruere, & conuellere crebris
 Ictibus aggredieris circum, magnoq; fatigas
 Incussu, ut crepitu dissultent tigna, solutaq;
 Ex textis tabulata suis findantur hiatu,
 (Vt cum murali tormento concita quondam
 Saxa crepant, summamq; trahunt conuulsa ruinā:)
 Donec uulneribus uictum, cuneisq; coactis
 Excisum, extremum gemat, & det signa ruinæ,
 Quod facer, & magnus Vatum labor ille duorum
 Exegit Superum uirtute, perennius ære,
 Et fatis fixum, quod fatum euincat, & æuum,
 Dædaleum, & populis opus hoc toto orbe stupendū
 Quod longè exuperet mundi miracula septem.
 NAM cum religio mentes abduceret agras

Dira Papæ, in pedicas, & cœca, & lubrica uitæ,
Oblitas ueræ Fidei, quæ sanguine Christi
Nixa polum subit, & Christo nos pectore iungit:
Et iam quingentos adytis penetralibus annos
Imperio explêrat Sacri præposterus usus,
Et tot mille animas lacubus inuexit Auerni
Portitor ille Charon, non Clauiger ætheris alti,
Intactum populis, & formidabile numen:
EN Germanus homo uigiles attollere contrà
Est oculos ausus, primusq; opponere Verbum,
Et sacras fraudes, & operta recludere texta,
Quem nec uitta triplex, nec Petri clauis, & ensis
Paule tuus, spiransq; necem execratio tristi
Fulmine compressit, Sed eò magis incitus acrem
Exeruit uirtutem animi, quò flamme anhelo
Oris, & impulsus cœlestis fulmine Verbi
Sede sacra eijceret, neruosq; incideret omnes
Immanis regni primùm, cultusq; sinistri,
Eriperetq; animam, & collisum extenderet atro
Pulvere, tot quondam populis, regnisq; superbum
Regnatorem orbis, & non satiabile monstrum.
Indigetescq; Deos, quos olim inuexerat orbi
Vana superstitio, castis altaribus egit,
Primus in it bellum inuicta uirtute Luterus,
Sacra nouans temerata; Dei penetralia lustrans
Sordibus Antiochi, monstra omnia uertit, & aras,
Infectas tabo liuenti, atq; ossibus albas,

Quas

Quas super instrarant signa, & mentita colebant
Numina, Diuorum spolia hæc, si credere dignū est.
Sæpè in honore Deūm, populo exposuere uidendam
Pelliculam, aut diui cuiusdam subligar, ossa,
Laurentis prunas, sacroq; è stipite partem,
Et quæ monstra aliqui in mediū sine more ferebant,
Vt uentri benè sit non deficiente crumena. (dentū,

Ergò dolū increpitans, & monstra haud ritè pu-
Iussa Dei adduxit contrà, monumentaq; sacra
Eripuit nocti rursus, in lucemq; locauit,
Præstigias ratione fugans, & lumine Verbi
Quâ sit iter cœlo, exposuit: Tum munus habendum
Iustitiæ, quam tu nobis fidentibus ultrò
Nate Dei confers, Sed enim tibi sanguine partam.

HÆC inter, focium summis adiungere rebus
Cura Dei uoluit, partem qui ferre laboris
Inciperet, studijq; uiro se adiungeret iisdem,
Qui cum partiri curas, & lancibus æquis
Sortē operū optaret trahere, & data munera obire.

Hunc Rhēni regione satum, Graiaq; professum
Doctrinas, graia dixere Melanthona uoce.
Qui clarus genere, ipse suis clarissimus ausis
Tantum alios inter multa caput extulit arte
Quantū inter uolucres præstat Philomela canendo.
Hic uaria iuuenes insignes reddidit arte,
Postquam ad naturam monita accessere magistri.
Namq; rudes cura informans exercuit omni,

Et mo

Et morum præcepta ferens, uitæq; regendæ,
Noticia implebat mentes rectiq; boniq;
Quid fas, quæ uitæ officia, & quid moribus aptum,
Quis Diuûm metus, & ratio ingredienda salutis.
Et sæpè obscura de re tam lucida pangens
Dicta, rudimentum Fidei, dissectaq; membra
notis Hinc, atq; hinc sparsim, è novis reuoluta uicissim
Expedit: Tracta in dubium, nutantia, prona,
Conuulsa argutis nugis, cæcisq; latebris,
Explicuit uera ratione, deditq; nitorem,
Vt doctrina uiam incedat iam in firmate puro,
Et uero doceat, facundoq; ore loquatur,
Barbaricum fandi morem desueta, situmq;
Contractasq; uias artis, dedit esse patentes,
Et nebulas priscis autoribus exuit atras,
Excutiens æui ueteris præclara reperta.

Huic ratio, in dubijs index certissima Veri,
Se uisa est aperire, & quæ nos plurima circum
Caligat, nubem eripuit, aciemq; resoluit,
Ne quis fallaci tenebras offunderet astu
Verborum, Et nigram lucis sub imagine noctem,

Huic Natura parens, effectrix Dædala rerum,
Se nudam ostendit, suaq; in penetralia duxit,
Accepitq; sinu grauido, & caligine mersas
Cernere res, causasq; dedit cognoscere opertas,
Et cœli spacia, atq; orbis, numerosq; uiasq;
Signa, facultates, formas, & nomina, & ignes,

Inter

Interualla, gradus, positus, moresq; uicesq;
Qui terram quatit tremor, Et tumor excitet undā,
Prælia quæ uentis, pacesq;, animæq; secundæ
Exortu Canis aspirent: Qui murmura cœlo
Molitur, fragor unde ingens, quo terra, fretumq;
Dissultant crepitu: Varias quid in aëre formas
Exprimat, Et populis fatali crine minantem
Caudatum torrem: Et Lunæ, Solisq; labores.
Has leges rerum exposuit ratione: Nec ulla est
Ars unquam, quam non acie penetrârit, Et ore
Vulgârit, calido nil relinquens pectore inausum,
Nil cura intactum, tectum, & sine lumine opertum.
Ingenium par materiæ & facundia præsens
Scribendi, quodcunq; animo flagrante liberet,
Et si quid uellet, dictis id prodere posset,
Cui Pitho mellis pluuiam, nimbosq; rosarum
E lingua sparsit, cui Gratia mater amorum
Annuuit euentum dictis, Et digna fauore
Simplicitas fandi, mentes penetrauit in imas,
Non uera inuoluens obscuris, plana retortis.

O aurum priscum meditantia secula, quæ te
Falsis opposuere sacris, & tristibus umbris,
Nanq; omnes artes scriptis, & uoce diserta
Explicuit, luci q; dedit, Ne, si impia uellet
Inuidia, opprimere illustrem caligine posset.
Huius & egregiam Musam, nectarq; deorum
Fundentem linguam, conferto ex agmine turbæ

B

Confusæ

Confusæ stupuere, piasq; hausere loquelas,
Dum satis officio facere, & prodesse legendo
Ardet confessu in medio, mortalia supra
Extollens aciem mentis, cui singula dicta
Numen habent, Vt erant certè commercia cœli,
Supra hominē uirtus, Nec amor obnoxia habendi
Mens erat, Aut cœli studijs humana uoluptas
Abduxit, Cui nec uerborum cassa cadebat
Copia, nec contrà sensus instructa serebat,
Mortali quantum ingenio contingere cuiq;
Fas erat, & quantum fas cernere lumine mentis,
Quantum acie posses penetrare per abdita rerum,
Vt post se longè mortales linqueret omnes
Præpete conscensu mentis, rapidoq; uolatu,
Nanq; altis confusa umbris, uaga, dissita neruis
Semina doctrinæ, in formam ratione redegit,
Vt uersis iam nunc hoc Sole nitescere sacris
Relligio, Et reddi iam ceperit artibus usus,
Et linguis natiua Venus, castiq; lepores.
Fortunate Albis, cui tantum cernere lumen
Concessum soli, dum cretus ad ostia Rheni,
Saxonici Ducis accitu, inter limina Phœbi
Maluit educi, & iuuenes formare colendo,
Quàm magnum sapere, & rerum ad fastigia nixus
Iura dare, & magnos regni decidere casus,
Vnde nitor, censusq;, & iura immunia, & agri,
Prædiaq;, & fontes, & amœnis ocia fundis.

Hic

Hic quoque diuina pro re cum saepe stetit
Obtendens pia dicta Sophis, & furta recludens:
Illius assuevit semper uictoria linguae,
Tam promptum sibi erat furias contundere dictis
Delusas falso mentes, sub imagine ueri,
In solidum recta subigens ratione reduxit,
Et textos furtim nodos dissoluit inanes.

Saepè etiã & belli furta, & tacita arma parantes
Praefectum Latio patrem, rasosque Lupercos,
Ausus detegere, & curas recludere opertas.

Saepè etiam instantemque famem, morbosque, luemque
Aëris, & motus animorum, atque impia bella
Praesensit, primusque excepit mente sagaci.

Hunc saepè ancipiti positi in discrimine mentis
Ibant consultum, & securi deinde malorum,
Compositi, curisque leuati, rursus abibant,
Et domus oraculum uerax erat urbis, & orbis.

Non auris populi fretum, lita gloria fuco
Sustulit in uentos; Sua nam bene facta tegebat,
Dissimulansque premebat humi: Sed tollere in auras
Facta externa uirum leuia, & ludicra solebat.

Vt sese ornarent alij, Sua docta reperta,
Pectore parta suo, concessit habenda, Quod ipsos
Eueheret famaque, opibusque ita redderet auctos,
Is nullius egens operaque, artisque ministræ,
Instar inexhausti fontis, cui quò magis humor
In uicina fluit, tantò magè rore sequaci

B ij

Emicat.

Emicat, & scatebris immurmurat unda resultans.
Fœcundusq; suis donis, & semper abundans
Inuentis rerum: Namq; indulgentia cœli
Plenior hunc sequitur, qui tempore cōmodus apto
Erogat in medium sua, & instruit artis egentes.

At licet abdiderat sese: Tamen undiq; apertum
Lux insueta dabat, magnaq; ex parte micabat
Proditus arte sua, Cœu nunquam nubis amictu
Sic tegitur Phœbus, ne pars sese exerat ulla
Officij, aut penitus uideatur totus obire
Indeprensa suæ oculi ans uestigia lucis.
Sic quò se premeret magis, hoc magis extulit illum
Fama, potensq; alis totum deuexit in orbem.
Multi illum populi, multæ acciuerè magistrum
Vrbes præclaræ: Sed enim contentus abibat
Sorte sua, & teneræ præscribere iura iuuentæ
Maluit, & doctas agitare in glorijs artes.

Noxam intenderes, insultuq; in super acri
Instantes, Tanquam meritos benè, amore fouebat,
Et caros inter nullo discrimine habebat.
Nulla simultatis constantia, longa fauoris,
Tractatu facilis, mitiq; referre Thaleten
Ingenio, atq; senem uicinum dulcis Hymeti
Suevit: At augusta morum grauitate, Catonem,
Attiliumq; fide, ueteres pietate Metellos,
Et studijs æqui Brutum, Sed pectore iusto
Vicit Aristiden, prudenti mente Solonem.

QV. ID.

QVIB memorandū equè FLACI scelerate dedisti?
Qui te suprā hominem, supraq̄ Melanthona, & ipsū
LVTHERVVM eximium magnis clamoribus effers,
Crimine qui ludam præstas, atq̄ arte Sinonem:
Tu coniuratus Staphylo nos tendere contra,
Dispare conatu quanquam, sed prorsus eodem
Fine tamen, geminas acies, diuersaq̄ castra
Ducere cepistis: Tu scriptis omne Philippi
Pondus, tuq̄ fidem detraxti, & pignora furtim
Supponis nobis tua, & hæc extollis, at illa
Vsq̄ premis. Sed parte alia tibi magne Lutere
Bellum infert Staphylus, dum quæ data dicta, uident
Diuersum arguere, & sensu in contraria ferri (tur.
Hinc, illinc, auidè excerpit, patulaq̄ notata
Erigit in charta, quo bellica more feruntur
Signa, Ducemq̄ suum sequitur nouus ordo uirorū,
A sue facta phalanx sibi sumere nomen Iesu.

Sic diuersæ acies magnis hoc uiribus unum
Perficere intendunt, ut ad Albim condita Musis
Limina, quæ tantum amborum conatibus obstant,
Funditus euellant, pariter dominumq̄, domumq̄
Augustam adducant in aperta pericula uitæ,
Quod uos ô Superi prius omen uertite in ipsos,
Et nobis dominum pariter seruate, domumq̄.

In caput aduersis incurrere frontibus audet
Magne LVTHERE tuum, magna, at sine uiribus, ira
Lerna Papæ, & studio nequicquam obtendit inani.

Errat enim, si fortè putat se lusibus istis
Vim dare doctrinæ, quam sacro codice fixam,
Non ex corde suo genitam, & sine numine Christi,
Haud temerè excuſſit, Latij contra impia patris
Crimina, confictosq; Deos. Cui talia agenti,
Impete diuino, & ſtimulis haud mollibus acto,
Omnipotens mentem dedit, euentuſq; ſecundos,
 Parte alia diſpoſta phalanx, fœcunda uenenis
Vipereis Flaçij, dictis te magne Lutere
Marte tamen teçto, ſed aperto, doçte Melanthon
Te petit, & medio digito tua pulcra reperta
Viq; notat, te perſtringens, Tibi naribus uncis
Indulget ſolùm, & dentem in tua uiscera figit,
His unus ſordes, his & graue nomen, & omnis
Fama tui eſt odio, Quem funçtũ corpore, ad urnam
Dra infectantur lingua, rabieq; canina,
Et caſſum te luce dolent, ut pabula haberent
Sæuitiæ, & metam quò liuida ſpicula tendant,
 Dum te deinde ſuis prætexere partibus audent,
Quos monſtro ſimiles hodiè enituntur in auras,
Et ſua detorquent ad te commenta, tuumq;
Ad nomen referunt per ſomnum inuenta, quòd illis
Sit patrociniò, & deformia crimina celet:
Hi plus hoſte tibi dant ſtragem, & damna, Lutere.
Nam quæ turba rudis, nec adhuc ſacra callet ad unũ
Omnia in ambiguũ uerti monumenta Luteri (guẽ,
Certandi ſtudio, & partes in utraſq; referri
Sentit,

Sentit, inopsq; animi, nil quàm responsa Sibyllæ,
Inuolucra & Sphyngris, tanto in doctore notabit,
Moxq; fidem dictis adimet, penitusq; repellet.

Accipe nunc Flacij insidias, & dilce latenti
Quid struat hoc aulo, Quem si fortuna sequatur,
Cum scriptis simul authores nox obruet atra,
Et ueri lux illa cadet, uix dum eruta ab umbris:
Huc tua consilia, huc tendunt tua crimina Flaci.
Ipse ad doctrinæ conuulsum corpus, & ipsa hæc
Vulnera dissensus, magno quæ opponere flatu
Gens inimica solet, causamq; facemq; dedisti,
Ex te primum initum, & fontem duxere nocendi,
Tu tu sæuitiæ stimulus, tu cædis inultæ
Belgarum in campis, & quâ tu Sequana gentes
Alluis, errores iam nunc exose, iugumq;
Tybridis, & tinctam Romanis sordibus undam.
Tu nuper Gothica Centauros arce furentes,
Dum sceptrū Iouis, atq; Aquilas imitantur in auro,
Spe regni accensos, uertisti in bella: Sed ipsos
Euertisti etiam, spem uanam, & uota secantes
Irrita, quæ uersare nefas. Tu fucus, & errans
Stellio inaccitus, sacris te sedibus infers,
Impostorq; dolo illaqueas miserabile uulgus,
Et Christi, & Vatum scriptis iniurius ipsis
Haud manifesta uocas, caligineq; obsita noctis,
Obscura, & tenebris nigrantia, lumine cassa.
His nunc arietibus pulsas, Quod transfuga & olim
Nequic

Nequicquam Stáphylus tentauerat ore canino.
Tu uerò faber, Et ne te non esse putemus
Vulcani sobolem, uel qui sis alter ab illo
Romanus præsul, quem clauis adultera cœli
Armat, & ensis atrox: Informas tu quoq; clauem
Quæ sanctas referet chartas, aditusq; recludat.

Tu tuba, rauca sonans, armas in prælia mentes,
Inflata à furijs, doctrinæ consona turbas,
Fœdera rescindis, reprobris affectibus imples
Pectora, ut Euripis refluxo feruentibus æstu.

Sed pacis suafor moderata mente Melanthon
Instar eras cannæ, quam leni flamine, & aura
Ætherea inspirans, hîc nuncia læta sonabat
Ipse Dei natus, Qua salua, & sospite, flabat
Candida pax, dulcis consensus, consona lingua.
Aureus ô uerè tunc fluxit temporis ordo,
Non Eris ulla serens deformia semina litis
Pectora Doctorum calidas stimulabat in iras.
Stabant compositi cœtus ad docta magistri
Ora, sonum excipere, & chartæ mandare fideli,
Dum Labyrinthæis è flexibus extricaret
Sancta rudimenta, & tenebras, umbraſq; priorum
Discuteret: Feruebat opus, pius omnibus ardor,
Excipiens leuib; præcepta salubria pennis,
Inter lætitiæ motus, suspiriaq; hausta,
Inter & orantûm uoces, & uerba docentûm,
Extorsit lacrymasq; genis, falsiq; liquores

Expositas

Expositas chartas multa infecere litura.

ARMABAT specie præstantem, & mole Luterum
Viuida uis animi, & fato facundia maior,
Cui quoddam ex oculis augustum numen acutis
Fulsit, & egregio frontem insigneibat honore,
Quando in concilium densa stipante corona
Coetus per medios uasta se mole ferebat.
Ducebant multo suspensum numine patres,
Cui iuuenum assurgens chorus obseruabat euntem,
Extantemq; humeris ita suspiciebat in altis.
Ille sonum fundens, & replens atria uoce,
Et Legem illustrans dictis, & munia Christi,
Moribus, & forti reddebat pectore Eliam,
Quem nec fama lupi Ausonij, non frangere dira,
Non magnæ potuere minæ, si ferreus imber
Ingruat, & uires Acherontis, & omnia secum
Arma ferat, Lemuresq; omnes conferret in unum.

AT blando aspectu, dulciq; affabilis ore
Grauius homo, uiua præstabat imagine Elifam,
Cui Pater omnipotens geminârat dona magistri,
Hic geminas nobis fabricabat Dædalus alas,
Quæ nixos homines cœlum in sublime leuarent,
Nam Sophiæ simul, & sacras accingitur artes,
Sacra Dei, sparsim sine lege, & tramite fusa,
In formam subigit: malè condita, & absona fensa,
Lenibat dictis paulatim, atq; arte magistra,
Ceu sale correxit lymphas Saphatæius heros.

C

Vulnera

Vulnera sæpè uirùm uehementi inflicta calore,
Siccabat precibus, & conducebat in unum.
Ætherei flatus oleo, & fomenta parabat
Doctrinæ ex succis, nec non moderamine mentis,
Imposuitq; suis affectibus aurea frena
Palladis: Erratis calidis afferre medelam
Doctus, & offensas inhibere, & tollere noxas.
Vt placidum uentis staret mare, & unda sileret:
Æolios fratres turgentem inclusit in utrem.
Et placida à Venere insurgentē ad prælia Martem,
Desuper extento ferrato casse tenebat.

Dehinc alam simul & conatu ingente sinistram
Sculpebat fingens, Atq; aptas usibus artes,
Doctrinæq; sacrae famulas, in secla propagans
Vulgabat dictis, Quo non felicior ullus
Foetibus ingenij, & facunda uoce repertus,
Tu licet Iapeti numeres à tempore gentem,
Aut æuum à Pyrrha reputās monumenta pererres.

SE D uelut in Lesbo fertur lyra Thracia Vatis
Marmoreis suspensa tholis, & fornice templi,
Nempè quòd est illic Musis extructa Palæstra,
Quæ Vatis post fata lyram uersauit, & Orphei
Doctrinam celebrans, serum produxit in æuum:
Sic facito tu nate Dei, fons ipse salubris
Artis, inexhaustiq; boni, & sapientia Patris,
Tu facito ut scola nostra lyram, & resonantia plectra
Magnanimùm herou, liquidū qui carmen ad auras

His

His ipsis cecinere locis, Et limine sacro
Doctas intendere fides, Et mentibus ægris
Dulcia de Christi panxerunt carmina donis,
Tu fac depositum seruet, modulamina sacra
Natorum ad natos extendat, & omnia secla,
Ne pes fortè lyræ, nec uox sit dissona uero.

AH quibus hîc potero uerbis æquare dolorem,
Et lacrymas cohibere, & non præscribere diris
Crudelem Flacium, socios, gentemq; scelestam:
Nam quas ædiderint strages, quæ uulnera nostris
Coetibus intulerint, Sinite hæc haud mollia fatu
Expediam, Et iuuenes audite ô mentibus æquis.

VIX dum morte obita confectis cursibus ambo
Hi sancti uigiles, sacri duo lumina coetus,
His demum terris petierunt astra relictis,
Hei mihi quàm uersis fatis reuoluta ruebant
Omnia, & in peius retrò sunt acta repente.

Composuit somno placida se morte Luterus,
Cygnus ouans cantu liquidū trans æthera tendens:
Haud mora, crudelis FLACIVS, Quo nomine dicā
Nescio, Sed Flacium cum dico, cuncta putetis
Crimina me dixisse, palamq; ante ora locare
Naturæ monstrum, & terræ execrabile pondus,
Centauros, Tityum, Lapithas, Salmonea dirum,
Thersitem, Autolicum, Cyclopem, Protea, Caccum,
Grumbacchum in sacris, uel si quoq; peius haberi
Grumbaccho poterit nomen, Quo nequior alter

C ij

Vix

Vix erat, ut uitæ communia foedera turbat.
Hic ergo à furijs impulsus, conscidit utrem,
Quo uim uentorum abdiderat pia cura Philippi.
Is socijs odia instillans, semperq; paratus
Criminibus terrere nouis, suspectaq; reddens
Omnia, detractor famam maculare magistri
Ausus erat, scriptisq; huius mox pondus ademit,
Detraxitq; fidem, & mentes auertit ab illo,
Is Cuculus uolitans tantùm popularibus auris,
Deniq; tot nostrum letho multauit acerbo,
Qui nostri generis laniena, & sanguinis hostis,
Non nostri generis, nec nostri sanguinis ipse.
Vtq; imprudentes socij prudentis Vlyssis
Vtre resignato rapidum emisere furentum
Ventorum genus, & subito tanquam agmine facto
Flatibus aduersis turbantur marmora ponti:
Sic tu compositam pacem dum perfide rumpis,
Inuertisq; statum ueterem, & pia foedera nexus,
Quæ sancti pepigere patres: Tum rupta repente
Mutua dissiluit fiducia: neruus amoris
In uentos abiit: tollunt fera praelia dictis
Cadmæi fratres obnixi robore toto,
Quos etiam palma est tandem Cadmæa secuta.
Peleus dum petit ora feræ, confodit amicum:
Hoc errore animi, patres, cognataq; fratrum
Pectora, crudeli iugularunt crimine lethi.
Quin humeros, atq; ipse sibi sua brachia cædit
Infelix:

Infelix animi, & peruersa mente Manasse:
Sic uos impetitis pia fulcra, & brachia uestra,
Viribus eniti quorum, & consistere debet
Vestra salus, & uestra domus, turbataq; templa.

SE D quis ad hæc sensus subiit, quæ cura Philip:
Ille nihil contrà: Vicit malè dicta tacendo, (pum:
Non operas interrupit, non feruidus æstu
Indixit bellum, aut animis certauit iniquis:
Perrexit studijs, inceptoq; hæsit eodem,
Vt scopulus, quem circū undę latrantq;, fremuntq;
Fluctibus allisis, magnoq; fragore minantur,
Mox uires, omnisq; in murmure desinit ira,
Spargitur unda retrò, spuma, et caua bulla supersunt.

SE D fremat usq; licet, det uulnera, et inferat ictus
Autolyçi piceata manus, uastator, abactor,
Fur, circumscriptor, subtractor, Stellio, fucus:
Fama uiri tamen, & uerax sententia uiuet,
Cum Flacius stimulos Furiarum, & uulnera mentis
Semper uiuã, fugamq; Dei, fremitusq; nefandos
Iam dum etiam uiuens, animo patiat, & ipsi
Ante oculos merces iam debita oberret ludæ,
Torquis nexa gulæ, tortusq; è canabe nodus:
Hoc te Sclaue manet non euitabile fatum.

Tu, qui fautor erat pacis: pietatis, & æqui
Assertor: neruos qui regni immanis, & hosti
Ceruices concidit, & ad te Christe retraxit
Mancipia errorum seducta nocentibus umbris,

Vertis in hunc morsus, inimicis parcis, & ipsis
Commodus es, telumq̄ paras ad uulnera nostra,
Dum nos dissidiū infimulant, quibus ipse fuisti
Causa, caput, fomes, tuba, fax, & principum, & fons.

Tu mitem, immanem; tu doctū, Sclaue profanū:
Tu pacis cupidum, timidi cum labe notasti,
Tu famam illius, & uitam sine labe peractam
Tentasti macula foedare, & crimine falso,
Tu, quos nulla ætas ex mentibus eximet unquam
Lumina tot patriæ. SED enim, si perfide nescis,
Restat adhuc firmi tanquam tibicinis instar,
Restat adhuc columen studiorum, hæresq̄ Philippi
Virtutum, dignus socero gener, Alter ab illo.

Utq̄ sub aduentum brumæ cadit herba Melissæ,
Flosq̄ uirens omnis qui sparsit odoribus hortum,
Sed defensa manet sub terris uiuida radix,
Quæ iam Vere nouo noua germina trudit in auras,
Quæ simili præstent uirtute, & odoribus h̄isdem:
Sic tuus ille socer iam in te PEYCEBE renasci,
Atq̄ sui desiderium lenire uidetur
Te statione loci suffecto, teq̄ relicto
Auspice, patrono, socio, custode, magistro,
Ut scola non modò nostra ruat, quod Sclaue uoles
Sed paribus sese auspicijs, sed & exeat illa (bas,
Altius, & splendore caput maiore sub auras
Erigat, & longè meliori flore uirescat.

Sed nondum uoti compos effectus, Ut huius

Haud

Haud unquam efficiere, pio quoque crimine manes
Insequeris, cineresque incessis Hyæna beatos
Corporis exutos uinclis, fictisque quietem,
Cuius nec uiuus potiere, nec æthere cassus,
Conturbas nugis. At in altis ætheris oris
Ille tuam ridet feritatem, & uulnera ab alto
Despicit, inuito te dulci pace potitus,
Nec nisi cum specie tantum luctaris, & umbra,
Et quæ te maneat fors nescis perfide, nescis,
Cui neque per decreta ducum, nec scita senatus,
Non crux, non uncus, non frigore tincta cicuta,
Non liquidum plumbum, rota non Ixionis, & non
Liquida pix, ferri non lamina, & arida tæda,
Cætera nec lethi præscripta exempla parentur,
Quando forum ingrato præcluditur, ipsaque legum
Aurea maiestas non poenas irrogat ullas,
Difficilis censura foret, Nec sorte laboris
Æstimet exigua rem tantam, & pondera causæ
Vllus quæsitur: Sed enim damnandus acerbo
Est odio tantum, Quem cætera turba relinquat
Inter pollutos scelere, ac immanibus ausis,
Quos diris damus, & quos deus ultoribus ipsis,
(Cum non poena fat est humana) remittimus ultro,
Et quæ poena uenit maior mortalibus ulla,
Ære Perillæo grauior, Quam fila morari
Parcarum, inuisum deus, & mortalibus ipsis?
Nec dum etiam sentis, quo te, quo uulnere tandem
Confectum

Confectum dederis: Sed enim non, perfide sentis:
Nam quia non ratione sua, nec munere fungi
Mens scelerata potest: Nec ueram uiuere uitam,
Nec sentire potest, Sed uita, & sensibus orba est.

Nunc ad te, et tua sancte Pater benefacta reueror,
Et quod restat adhuc, properabo carmen ad umbras,
Felices umbras: Anni nam tempus, acerbi
Nos monet officij. Iam pulcris floribus arua
Ver latum induerat: Sed enim mors inuida, curua
Omnia falce metens, florem hunc decerpit agello,
Qui reliquis auram benevolentem floribus afflans
Omne latus mundi suauis odore refecit.

Morte tua iam cernere erat ruere omnia retro,
Et bene quae concepta forent, in peius abibant.

O miseram hanc animam pro te prior ipse dedissem,
Mecum mille alij quorum ars minor, & minor usus,
Te superesse uelim, tua uita dignior esset
Virtus, officiumque pius, & labor omnibus usu.

Sed bene tecum actum est, agiturque beate Melanthon:
Spectata est orbi scriptis tua plurima uirtus,
Euecta ad summæ fastigia laudis, & illam
Quae cuiquam posset contingere maxima, famam,
Nec uires animi matura senecta, iuuentæ
Æmula deiecit, quamuis iactata labore
Continuo, & curis attrita, operisque disertis.
Vis arguta, sagax calor, & uigor ætheris ille,
Promptus, inexhaustus, celer, indefessus agendo,
Fœcun

Fœcundus rerum, citus ad præclara reperta,
In uegeto iuvene, & lasso sene, semper ad unguem
Exactus, similisq; tibi, haud obnoxius ullis
Fatorum uicibus, cursu perstabat eodem,
Ne posset species non cerni uiua Philippi,
Quale micans aurum, manet aurum, siue repostū est
In ferri cauea, seu putris tegmine ligni.

Te formatorem iuuenum, morumq; magistrum,
Teq; repertorem rerum, fontemq; perennem
Vnde chorus Vatum scribendi sumeret haustus,
Pulpitaq;, amisso rectore Melanthere lugent.

Quantū orbi decus, & lumē, quantū artibus almis
Subtractum? Quod præsidium mortalibus ægris,
Quod commune bonū, qui flos, quæ munera in uno
Prærepta? At nobis, nihil illi, Parca nocebas,
Victrix est Fati pietas: Nec tu improba quicquam
Iuris habes cœli in dominum, cœloq; propinquas
Mentes, & cœli partes; In debile corpus,
In fluxum cinerem, ductamq; ex puluere massam
Imperium exerces, & habes ius triste nocendi,
Ast homo, Patris opus summi, res lubrica non est,
Sed quæ fas habeat quondam immortale deorum.

Si perimis massam hanc: Animus ceu carcere lis
Effugit, alta petens, ponitq; solubile pondus, (ber
Cum quo deposuit tristes in morte labores,
Luctus, pallentesq; metus, curasq; uoraces,
Morborum genus omne, uices, incommoda, motus,

D Tædia

Tædia, spes, curas, non euenientia uota,
Mille lues alias, & edentes corpora pestes.

Nunc uersa uice, pro duro pax alma labore
Affluit, & precium meritis ingentibus æquat,
Et melius fatum patria meliore rependunt
Dij quorū hæc anima est, & Christi conscia Musa.

Sic uitæ iactura lucro est: Pro nocte, potitur
Luce Dei: grata requie, pro mole laborum,
Pro terræ hospitiis, stabili iam sede deorum.
Longius huic terræ sordes habitare negatum est,
Æternum cœli sedes colit ille micantes.

Cætibus humanis est raptus: At ille beatīs
Coelitibus magnum decus additus, alta frequentat
Concilia, inferturq; choris felicibus ultrò.
Lapsura scq; negauit opes Fors tempore paruo:
Et Mors concessit perituras tempore nullo.

Vile lutum Parca abnuerat: Nunc possidet aurum,
Et dum deformat morbis, & funere corpus:
Pulcrius illi auro fulget decus, atq; Pyropo.
Esse homo desierat: Fit numen, & incola cœli.

PAR igitur uirtus, animus par, exitus idem
Optandus nobis, quo te fecere beatum
Munere dij Superi, superis dilecte Melanthon,
Pectore parta tuo qui commoda tanta dedisti
In medium, in mediū dum consulis omnibus unus,
Et studium ueri sectans, & Pacis amorem,

Haud alij sperandam æquè tute ipse parasti
Doctri

Doctrinae famam, qua posses sydera adire,
Ni tam pressum animū, quod longè est maius, habes
Multa alijs, tibi nil tribuens, & tenuia dona (res,
Suspiciens hominum, abiiciens tua maxima, cedens
Palmam alijs, uictus mallens quàm uictor haberi,
Vitam etiam promptus Christi pro laude pacisci,
Cum uice sermonum congressus es hostibus olim,
Vitam, & fortunas in aperta pericula mittens.

Nos quoque uirtutesque tuas, præclaraque nobis
Aptemus studia, & tua sancta exempla sequamur.

Vos ergo cineres, tuque umbra beata Philippi,
Æternū saluete mihi, æternūque ualete:
Vos cineres iterum saluete, iterumque ualete.

D I X L



Doctrinae laudum, ut possit fieri adire,
Nisi tantum animus, quod est, in
Miles, tibi, tibi, tibi, tibi, tibi, tibi,
Sapientia hominum, tibi, tibi, tibi, tibi,
Istam alia, tibi, tibi, tibi, tibi, tibi,
Vixit in terra, tibi, tibi, tibi, tibi,
Gentem, tibi, tibi, tibi, tibi, tibi,
Vitam, & fortunam in aeternum, tibi,
Nos quod virtutes, tibi, tibi, tibi,
Aperit tibi, & tibi, tibi, tibi, tibi,
Ios ergo, tibi, tibi, tibi, tibi, tibi,
Aeternum, tibi, tibi, tibi, tibi, tibi,
Vos cunctis, tibi, tibi, tibi, tibi, tibi,

1591
1591

D I X I

ULB Halle 3
001 374 32X



F
R
S
V
A
A
7







12.
 PARENTALIA ANNI-
 VERSARIA,
 CTAVVM HABITA,
 EVERENDISETCLARISSI-
 MIS VIRIS, D. MARTINO LVTHERO,
 ET PHILIPPO MELAN-
 THONI.
 quibus & FLACII cuiusdam Illyrici im-
 pietas, & artificia Sinonia exagis-
 tantur,
 A
 IOHANNEMAIORE
 DOCTORE.
 ANNO 1568.

Vg
 1591



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (SAALE)

